LAI

IA.

I.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS I.

EXERCITATIO IX.

DE

TERTIA ARGUMENTANDI FIGURA

Ejus veritatem, definitionem & variationem exhibens, ac exemplis illustrans.

Disputatorij gymnasmatis loco in Gymnasio Gedanensi Proposita

Præside

HENRICO NICOLAI

Philos. Mag. & ejusdem Professore Ordinario

Respondentis partes explicante

JOHANNE NERLICHIO

Lesnensi.

Ad diem 13. Februarij S. N.

In Auditorio Philosophorum

Horis ab 7. matutinis.

Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO excripta. ANNO 1636.

I.

ERat usurpatum Veteribus dictum, quod è perito quodam ventris Magistro & primo Gastrologias scriptore Terpsione *ab* Athenæo l. 8. dipnos: c. 4. *allegatur: Aut edendas esse carnes testudinis, aut non edendas. Cujus rationem adducit* Suidas, & ex Zenobio Casaubonus anim. in Athen: l. 8 c. 3. *quod testudinis carnes parcè comesæ intestinorum procurent tormina: largiùs ventriculo ingestæ iisdem expurgitandis non inutilem operam impertiant. Multa in* Logicis *occurrant, quæ si tractes curatiùs atq; impigrâ manu, vehementer prosint: sin ignavam in iis loces operam, intacta mansisse satius sit. Quod de eâ argumentandi ratione, quam* tertiæ figuræ *vocant, non absurdè enunties. Plura in eâ difficilia, implicata, & ventilatione digna. Transcursim, & ut* Homericum verbum est, ἐπιδρομάδην *libata, parùm utilitatis adferant, & eludant magis tractantem: Interiùs ad animum mentemq; recepta erudiant & informent. Lustrabit hæc disceptatio, ut promissum* d. 7. t. 28. *illius naturam, & in rationes modosq; ratiocinandi ad formam ejus comparatos curiosiùs intendet.*

2. *Tertia figura ut pleniùs tractetur, videnda ejus erit* veritas, appellatio, ordo, definitio, argumentandi variatio per modos, *Canones processum illius dirigentes, & affectiones perficientes. Singulis membris distinctè expediendis præsens operam locabit disquisitio.*

3. 1. Veritas *est, quod verè detur ea, quam tertiam figuram dicimus, ratiocinandi forma, diversa à primâ & secundâ figurâ. Hoc probatur argumento 1.* artificiali. 1. à definitione & *formâ 3. figuræ desumpto: datur modus argumentandi processum naturalem sequens & perficiens, in quo medium aliam habet dispositionem, ac in 1. aut 2. figurâ, ut antecedat in utráq; præmissâ. E. datur tertia arguendi figura. Nam qui modus arguendi est naturali processui similis, & alius à modo in 1. & 2. figurâ, ille verè pro tertio modo assignari potest. Tot enim debent esse figuræ, quod sunt naturalis argumentationis legitimi variandi modi. At in 3. figura est talis modus. Ergò 2.* à speciebus & *exemplis argumentandi in tertiâ figurâ. Hæc duplicia* 1. Ex universalibus *desumpta. Vt, si dicatur, Quidam Medici non sunt Germani, nam & Itali, Galli, Hispani, sunt Medici. Hic implicatur discursus, qui in nullâ figurâ commodius formabitur, quam in tertiâ, ad hanc formam: Nulli Itali, Galli, Hispani sunt Germani. Quidam Itali, Galli, Hispani sunt Medici. E. Quidam Medici non sunt Germani. Hæc forma argumentandi omninò est naturalis, & diversa à formâ primæ aut secundæ figuræ, & sic datur tertia figura. 2.* Ex singularibus *desumpta. Dantur species arguendi ex medio singulari, quæ in nullâ figurâ commodiùs expedientur quàm tertiâ. E. datur tertia figura distincta à Cœteris. Sic, Quidam Rex Iudeorum fuit adulter, ut David. Implicatur discursus, & nullibi commodiùs formandus, quàm in 3. figurâ:* singularia enim aptisſimè subjiciũtur, *non prædicãtur. At mediũ in tertiâ figurâ ex utroq; est subjectũ, & sic commodissimè hoc modo arguitur: David fuit adulter. David fuit Rex Iudæorum. E. quid: Rex Iudæorum fuit adulter. Hic processꝰ tertiæ figuræ est apertissimꝰ.* 2. Inartificiali, *testimonio & consensu plerorumq; Logicorum;* Aristotelicorum, Rameorum, & mistorum.

4. Valla l. 3. dial. c. 2. & 9: *in totum negat eam, ut planè insanam: Quod nemo unquam ita argumentantem audiverit;*

rit; Nec passurus aut intellecturus sit ita ratiocinantem: Nec na uram Ducem sequatur, sed ab eâ abhorreat: Nec pueris, fœminis, rusticis unquam cognita fuerit, aut usurpata. Quibus tamen in ore & usu prima & secunda figura. Et in 2. aut 1. figurâ omnes tertiæ Syllogismi longè faciliùs & evidentiùs formari possint. Scribon. in trium. Log. Ram: c. 10. 11. ex parte eam reÿcit, quod exempla hujus figuræ contracta apud Authores inventa, non rectè dicantur Syllogismi, nec illis observetur Syllogistica dispositio, qualis in generali Syllogismorum definitione explicetur, Sit tantùm particularis enuntiatio, adducto exemplo illustrata, nulla in eo dispositionis alicujus forma. Contra hæc breviter sic habendum: 1. Falsum, nullum unquam sic argumentari auditum. Nec dicet Valla, se omnes ratiocinantes audivisse. Si ab singulari exemplo quis argumentari velit, omninò in tertiâ figurâ argumentabitur. In nulla enim expresśiùs vel commodiùs id facere poterit. Expositio enim tertiæ figuræ est accommodatisśima. Deinde exempla hujus figuræ apud Aristotelem, Platonem, Ciceronem & alios inveniri ostendit D. Hopfnerus in l. 1. prior. c. 6. Ex aliis etiam Authoribus Goclen. p: 4. qu. 15. Etiam hodie sæpè in usu communi formam tertiæ figuræ usurpatum iri credo, si quis advertat. 2. Nulla est ratio, cur ita argumentantem non feras. Naturâ duce in argumentis ab singularibus petitis ad istam argumentandi formam delabemur, ut patebit, si quis periculum faciat, & singulare exemplum pro medio adhibeat. 3. Falsum, naturam ducem non sequi. Nam in singularibus omninò eò ab naturæ processu velut ducemur. Vnde & illud falsum, rusticis aut fœminis talem arguendi modum incognitum esse. Et licet esset incognitus, non ab illis præcisè omnes naturales arguendi formas haurire tenemur. Satis, si natura doctioribus talem ratiocinandi formam inserat. Nec enim ab anubus aut idiotis rationes rerum emendicare cogimur.

 gimur.

gimur. Dato etiam illo, in Virgilio, Horatio, Cicerone, *& Oratoribus hanc arguendi formam non reperiri, non sequitur, eam innaturalem esse. Potuerunt illi non advertere omnes modos argumentandi, ut quos tradere ad ipsorum disciplinas non pertinebat, sed Philosophorum. Ab his modi arguendi in universum sunt sumendi. Hi ut inventis nova addere potuerunt: ita de novo peculiares modos invenire. 4.* Quod *Syll. 3. figuræ ad primam revocari possint, non magis destruit 3. figuram, quam nec secundam, nam & illa ad primam revocari potest. Eam tamen ut bonam assumit* Valla c. l. c. 8. *non propterea reprobat. 5.* Quod Scribonius *ait, non inveniri exempla hujus figuræ, nisi contracta apud authores, & falsum est,* V. th. 5. *& si verum esset, parum ad rem esset. Non ab usu Oratorum aut Poëtarum, sed Philosophorum veritas hujus figuræ pendet. Satis, si apud hos Naturâ duce talis sit dispositio Syllogistica, utut nuspiam apud Oratores, Poëtas. Et apud authores non illustratur solùm particulare enuntiatum exemplo, sed probatur, & confirmatur. Adducitur enim pro ratione. At ubi probatio, ibi implicatur discursus.*

5. 2. Appellatio *est, quâ dicitur tertia figura.* Figura *appellatione à Mathematicorum lineis desumpta, quæ ex ordine & dispositione suâ figuras faciunt. Sic hic figura naturalis & legitima medij cum extremis dispositio ad argumentandum.* Ramei *rejciunt hanc appellationem, quod sit Geometrica & aliena à Logicis, metaphorica & obscura.* Ramus l. 7. Sch. Log. c. 5. Taleus in l. 2. Lo. Ram. c. 9. Snellius l. 3. com: Log: c: II. *Et cur hac ratione non & ipsam Syllogismi vocem è Logicis exterminant, nam & ea à Mathematicis numeros subducentibus & summam conficientibus est sumpta, & Logicis applicata. Et sic aliena, metaphorica, obscura est, clarior enim vox Argumentatio. Illam tamen*

vocem

vocem famosè retinent. Et sic quidam Ramistæ retinent figuræ appellationem. Casman. l. 2. Log: c. 10. Bilsten. l. 2. Log: c. 10. Polanus l. 1. Log: p. 134. *& si ex parte mistus.* Tertia *ab ordine, quo collocatur, ultimo nempe loco. Quod rectè fieri dicetur* th. 6. Ramus, *ut omnia in Logicis novaret, & hanc appellationem Aristoteleam mutavit. Primam figuram vocavit Syllogismum explicatum secundum: Secundam explicatum primum: tertiam Syllog. contractum. V. eum* l. 1. Dial. c. 10. 11. *Eum sequuntur Ramistæ,* Tempellus, Dunamus, Talæus, Scribonius, Makilmæneus, Snellius, Rhodingus, Casmannus, Sluterus, Pet. Martinius, *aliiq́;. De reliquis figuris alibi. Tertiam malè contractam vocari, quod ejus exempla semper contractâ formâ apud Authores occurrant, alii Ramistæ adverterunt.* Schöner. in epist. ad Snell: Galen. p: 4. prob. q. 15. Ursinus com. in Lo. Ram. l. 2. c. 10. n. 3. Casman. l. 2. collat. Log. Ph. Ram. c. 10. P. Martinius in l. 2. Lo. Ra. c. 10. Makilmenæus, *præfat. suæ Log. jubente Ramo se id correxisse fatetur, ut ad calcem libri innuit Typographus.* Scribon. in trium. c. l. *de veritate hujus dubitat.* Dunamus l. 2. Dial. c. 10. *ostendere conatur, omnia exempla ab istis adducta aliena esse. Sed parum totum illud ad rem est. Sive inveniatur illa forma explicatè apud authores, sivè contractè, non ab isto usu authorum statim est modus arguendi denominandus.* 1. Quia est accidentalis *ipsi formæ arguendi, esse explicatè vel contractè propositam. At ab accidente fortuito periculosæ sunt & ludicræ rerum denominationes & divisiones, Ubi ab essentialibus sumi possunt, Quod ingenti molimine ipse pugnat* Ramus l. 2. Sch. dial. c. 9. *Velut si corpus hominis partiaris in caput, pileo nunc albo, nunc nigro tectum, ut ipse loquitur* c. l. *Quidvis enim quovis modo sic denominari potest.* 2. Quia *talis contractio non est actu Syllogismus, sed potestate & virtute tantùm, fatente* Casmanno

manno c. l. & *non dissimulante* Scribonio c. l. *At divisio Syllogismorum hoc loco debet esse eorum, qui actu & expressè tales sunt.* 3. Si *ab isto usu Syllogismi figura denominanda, etiam alia dicetur superflua, alia confusa & inversa. Nam in authoribus tales formæ occurrunt, fatente* Ramo l. 2. Dial. c. 9. *in aliis exemplaribus* c. 8.

6. .3 Ordo figuræ tertiæ *est, ut ultimo loco inter figuras Logicas perfectæ argumentationis tractetur.* 1. Quia *est naturali evidentiâ ratiocinandi omnium infirmissima, prima omnium clarissima. At à notioribus ad ignotiora, clarioribus ad obscuriora, legitimo ordine est procedendum, ut urgere solent ipsi Ramei* V. Beurhus. dis: 1. iterat. Log. q. 6. 2. Est *particularis, & ad particularia quæsita probanda ex suâ formâ tantùm apta. At prima & particularia & universalia probat, & affirmantia & negantia, & sic est generalis. Secunda sola negantia, tertia sola particularia concludit. At generalia in ordine sunt præmittenda specialibus, ipsis Ramistis consentientibus.* 3. Est *omnium imperfectissima, nam & particulariter tantùm concludit, & majorem admittit particularem. Cum prima & secunda & universaliter concludant, & majorem semper requirant universalem. At quæ perfectiora sunt rectè præmittuntur imperfectioribus, si cognitionem horum juvent & illustrent, sunt enim illorum mensuræ & normæ.* Quidam *Ramei hunc ordinem cum Aristotelicis sequuntur.* Bilsten. l. 2. Log: c. 10. Sonleutnerus, Piscator, &c. *Et rationes pro eo adfert* Vrsinus in l. 2. Log. Ram. c. 10. q: 2. *etsi Rameus ipse.* Alij *Ramistæ etiam hunc ordinem invertunt, & tertiam figuram primam faciunt. V.* Ramum l. 2. Log: c. 10. & l. 7. Sch. Dial. c. 5. *Eum sequuntur* Taleus in l. 2. Lo. Ram. c. 10. Tempellus, Snellius, Casmannus, Scribonius, Dunamus, Makilmenæus, Vrsinus, Sluterus, Beurhusius, Rhodingus, Pet. Martinius, Voitus, *aliiq;*

partim

partim in l. 2. *Rami*, c. 10. *partim in aliis scriptis. Aristoteleos sequuntur misti, ut* D. FincKius, D. Dietericus, Libavius, Scheiblerus, KecKermannus, Polanus, Alstedius, Timplerus, Bersmannus, *aliiq́. Ramistæ pro suo ordine arguunt, quòd figura tertia sit omnium simplicissima, notissima, artificiosissima: habeat medium primo omnium loco positum, pro subiecto nempe: sit imperfectissima secundum Aristoteleos: expositionem per sensibile medium in se contineat, quæ non solùm tertiæ, sed & primæ & secundæ figuræ generale sit principium. At simplicissima, clarissima, artificiosissima, situ terminorum apertissima & principia aliorum declarantia meritò primo loco collocantur. Rationibus istis occurretur in* συζήτει. *Vide interea* Cl. I. Ma. l. 2. dis. Ram. c. 10. q: 4. & C. 3. d: 8. q: 2. C. 8. d: 4. q: 1. Dn. Scheib. d. Syll. c. 8. n. 25. Timpl: l. 4. Lo. c. 5. q: 14.

7. 4. Definitio *figuræ 3. est, quod sit* dispositio Syllogistica naturalis, medium in utrâq́; præmissâ pro subiecto habens. Genus *est, dispositio Syllogistica naturalis, in quo convenit cum figurâ primâ & secundâ, quæ similes sunt dispositiones.* Naturalis *dicitur, ut* partim *modi indirecti & innaturales primò ad figuram non pertinere intelligantur:* partim *innaturalis illa terminorum dispositio, quæ quartæ figuræ Galenicæ dicitur, reijciatur, & hæc ab tali dispositione distinguatur, adeoq́ & naturam sequi, & eam perficere, & illâ in discursu, ut fundamento, niti intelligatur.* Dices: Medium in *hac figurâ subijcitur, & sic tantùm collocatione nostrâ est medium, non dispositionis ipsius naturâ. At quod dispositionem medij naturalem non habet, nequit dici figura naturalis, nec naturâ niti, vel eam perficere. R.* Quod *dispositionem medij naturalem nec perfecto & apertissimo, nec imperfecto habet, non est figura naturalis. At tertia & si non perfectissimam medij dispositionem habeat, quæ est, cum medium ipso situ in-*

ter extrema est, & naturalem Syllogismum maximè imitatur, quod 1. fig. facit, habet tamen aliquam, ab naturæ processu non abhorrentem, cum medium ut interveniens duobus extremis, *quæ vel unit vel separat; assumitur, & sic etiam naturale dici potest, quo pacto & figura tale medium habens, dispositio naturalis dici potest, & sic figura tertia.* Conf. th. 4. Differentia *est, quâ medium in utrâq; præmissâ subijcitur. Per hoc differt à fig. primâ & secundâ.* Medium *hic dicitur terminus, qui bis ante conclusionem ponitur, ut ratio conclusionem probans.* Subjici *est loco subiecti & antecedentis poni in majore & minore.* Cur medium in utraq; hic subjici debeat, *ratio ex ipsâ figurâ duplex sumitur.* 1. Ex ordine figuræ. *Debet hæc esse tertia & ultima. E. ultimum velut situm medij habere debet. At hic est, cum subijcitur. Prædicari enim habet se ut universalius, & velut forma: subijci, ut angustius, & velut materia. Universaliora autem & formam repræsentantia sunt priora minùs universalibus.* V. t. 6. 2. Ex processu figuræ. *Ille est à specie & angustiori ad genus & latius. At hic requirit, ut major & minor terminus de medio prædicentur, secus processus erit innaturalis. Vt: Quæritur, an quidam homo sit damnandus? affirmatur, argumento increduli. Vt illatio sit naturalis, oportet rationem illam pro subiecto utriusq; præmissæ esse, hoc modo: O. incredulus est damnandus. O. incredulus est homo. E. Quidam homo est damnandus.*

8. Dices: 1. Si *medium hic bis subijcitur, E. hæc figura prior secundâ, Nam subijci est prius quàm prædicari. Est enim antecedens, hoc consequens. R. Subijci est prius quàm prædicari quà situm & attributionem, non semper quà præstantiam & nobilitatem. Subijci enim se habet instar materiæ, prædicari instar formæ. At formalia præstantiora materialibus.* V. t. 7. *Quod est prius in figurâ in evidentiâ & præ-*

stanti-

stantiâ inferendi, & virtute nobilitatis, id alteri proponendum. Sic *medium in 2. figurâ est præstantius, quàm tertiâ: Quà illationem est universalius: quà amplitudinem diffusius: quà vicem prædicandi & velut formæ, nobilius.* 2. Tertia *figura & affirmatè & negatè concludit, secunda negatè tantùm, & sic etiam in hoc secundâ est universalior, adeoq; præstantior. E. præponenda ei fuit. R. ex alio respectu secunda est generalior, nam & universaliter infert & particulariter, cum tertia particulariter tantùm inferat. E. ex hoc respectu est nobilior tertiâ. At respectus universalitatis & particularitatis est nobilior respectu affirmationis & negationis. Et sic, cui iste in majori gradu competit, ea meritò præfertur: Quod est de secundâ figurâ præ tertiâ.*

9. 5. Argumentandi variatio *in hac figurâ est, quâ per 6. modos formales, & directè procedentes arguendi ratio variari potest. Possunt versu sic comprehendi: Darapti; fela; dis: datisi, bocardo, ferison. De his modus quæritur.* 1. An rectè in Logicis tolerentur? *Negant* Ramei, *quod constent vocibus barbaris & insuetis, pro quibus usitatæ & magis Logicæ substitui possint; ut Syll. generalis vel specialis primus, secundus: Doctrinam Syllogismi faciant obscuram & laboriosam; adeoq; observatu difficiles sint & inutiles. Et quidquid ex his modis discatur, faciliùs intelligatur ex Syllogismi definitione, affectionum qualitate & quantitate.* Ram. l:7. c. l. Taleus in Dia. Ra. l. 2. c. 10. Snell. com. Lo: l. 2. c. 10. *aliiq;.* Aristotelei & misti *illas voces technicas retinent.* 1. *Quia facillimam reddunt formæ Syllogisticæ in qualibet figurâ compositionem & resolutionem.* 2. *Ad vitiosos & legitimos Syllogismos apertissimè dignoscendos multum conferunt.* 3. *Reductioni & perfectioni Syllogismorum imperfectorum plurimùm conducunt.* 4. *Ab ipsis nonnullis Ramistis feruntur & usurpantur, ut* P. Martinio c. l. Bilstenio

 l.2. Log:

l. 2. Log. c. 10. Casman. l. 2. Log. c. 10. *Contra Rameorum rationes breviter ita habendum:* 1. Barbara *sunt illa, quæ in loquendi modo & significandi ratione à legitimâ normâ exerrant, non quæ artis gratiâ excogitantur, per se nil significant, sed technicam operationem dirigunt, ut hæ voces, barbara, celarent, artificium construendi & resolvendi Syllogismos formales dirigentes, & perfectionem formæ Syllogisticæ ostendentes.* 2. Syllogismus *generalis primus, secundus, ut sciatur, quales propositiones in universum habeat, oportet ut totis definitionibus sit notus. At facilius paucæ voces technicæ, & earum sensus vocalibus significatus tyroni Logico innotescunt, quàm tot definitiones.* 3. Falsum, *voces istas facere Syllogismos obscuros, laboriosos, difficiles. Contrà faciunt.* 4. Multas *de affectionibus, qualitate, quantitate propositionum definitiones intelligere laboriosius est, quàm paucas quasdam voces technicas comprahendere.*

10. *Quæritur 2.* Cur plures in hac figurâ modi, quàm primâ aut secundâ? *Ratio duplex est.* 1. Ex infirmâ *ratione arguendi in hac figurâ. Conclusio semper est particularis per formam, nunquam universalis, ut in 1. & 2. figurâ. At ad infirmam arguendi rationem plures variandi modi esse possunt, quàm ad validam.* 2. A paucioribus *requisitis in hac figurâ, quàm 1. aut 2. Ibi major semper tenebatur esse universalis, secus dictum de omni & nullo turbaretur. Debebat enim medium in illâ completè distribui, non incompletè, quod per particularia enuntiata fit. At hic satis est,* si omnes partes medij *contineantur sub minore, s. medium in majore distribuatur completè, s. incompletè. Sic, Quidam homo est doctus. O. homo est animal. E. Quoddam animal est doctum. Omnes partes medij, homo, continentur sub minore, animal: sive medium in majore inferatur universaliter, s. particulariter. Et sic perinde est, an*

major

major sit universalis, an particularis. 3. Cur majores in quibusdam modis admittantur particulares? *Ratio ex dictis constat. Medium hic est angustius minore extremo. Itaq; non de minore prædicari potest, sed medium illi subjicitur, & minus de medio prædicatur. Si igitur medium secundum omnes suas partes contineatur in minore, licebit de eo aliquid enuntiare in majore universaliter, s. particulariter, & idem de minore in conclusione particulariter licebit inferre. E. g. Quidam electi graviter peccârunt. Omnes electi sunt renati. E. Quidam renati graviter peccârunt. Medium, electi, totum continetur in minore, renati: Ergò licet de eo in majore particulariter enuntiare, & idem de minore eodem modo in conclusione inferre.*

II. 4. An modus Darapti inter legitimos habendus? *Ambigendi ratio est, quod* partim *conclusio in hoc modo arguendi emergat interdum falsa ex veris præmissis:* partim *reducendo eum ad Darij 1. figuræ ex jussu litteræ P. minor conversa per accidens, interdum fiat falsa, in modis de necesse: interdum & conclusio in ijsdem sit falsa. At verus modus in perfectissimâ figurâ semper verum debet inferre ex veris, non falsum. E. g. Necesse est omnem Philosophum esse doctum. Necesse est om. Philosophum esse hominem. E. necesse est, quendam hominem esse doctum: Quod tamen reverâ contingens. Necesse est omnem incredulum damnari. Necesse est, omnem incredulum esse hominem. E. necesse est, quendam hominẽ damnari. Quod tamen in se reverâ contingens. Necesse est omnem electum finaliter credere. Nec: est omnem electum esse hominem. E. necesse est quendam hominem finaliter credere, quod tamen etiam in se est contingens. Sic si referas hos ad Darij 1. figuræ, minor ex necessariâ reddenda erit contingens, si vera esse debet. Nam retento modo necesse erit falsissima. Et modo contingentis syllogismo illato 4. termini in syllogismum inducentur, ut post ex*

h. 12. *patebit.* Varia *hic est solutio.* Quidam *ad majorem respondent, eam veram de necessitate hypotheticâ, non absolutâ. Necesse est omnem Philosophum esse doctum, posito, quod sit Philosophus; omnem incredulum damnari, posito, quod sit incredulus; omnem electum finaliter credere, posito, quod sit electus. De hac necessitate etiam veram esse conclusionem: nec. est, quendam hominem esse doctum, hypotheticè, posito nempe, quòd sit Philosophus. Sic totum argumentum concedi. Idem de cæteris habendum.* Scharf. l. 3. Log. c. 10. §. 3. *Eoq; respicit etiam* Nihus. di. Log. 7. t. 13. 14. Alij *respondent, ex puris necessarijs in 3. figurâ vi formæ sequi conclusionem absolutam tantùm, non modalem. Sic inferendum: Nec. est omnem Phil. esse doctum. Nec est omnem Phil. esse hominem. E. quidam homo est doctus.* Cl. I. M. l. 4. inst. Log. c. 8. D. Höpfn. in 1. prior. c. 8. Alij *negant istas inferendi rationes ex necessitate hypotheticâ procedentes, & regulam* Aristotelis, *In omni figurâ ex omnibus præmissis necessarijs necessaria efficitur conclusio, valere dicunt* in necessitate absolutâ, *non hypotheticâ. Sic minores horum, Necesse est omnem Philosophum esse hominem, omnem incredulum aut electum esse hominem, esse necessarias tantùm ex hypothesi, non absolutè.* Hornej. dis. Log. 7. th. 35. 36. Heymbürg. d. Syll. mod. c. 1. §. 2. Alij *addunt, debere ita esse necessarias, ut simul sint Catholicæ i. e. reciprocæ, secus modum Darapti ex prop: necessarijs non procedere, ap.* Danhau. id. Disp. s. 4. §. 42. *Hæ responsiones ex consequentiâ abstractâ & formâ, faciunt concretam, & materiam, dicuntq; valere consequentiam non ex vi formæ, sed talis vel talis materiæ. Cum tamen omnis Syllogistica consequentia figuris & modis comprehensa formalis esse debeat, non ad hanc vel illam materiam in specie alligata. Secus figuræ essent regulæ Lesbiæ, cum Polycleti esse debeant.*

12. Ali-

12. Alij *tales Syllogismos non legitimè habere dictum de omni & nullo putant, quòd in reductione ad modum Darij, si servetur modus necesse, semper minor futura sit falsa: Si mutetur iste in contingentem, semper futuri sint 4. termini, & sic illatio formaliter falsa. Nec videndum tantùm, quomodo major insit medio, sed & quomodo medius minori.* Dn. Co. Mart. l. 3. comm. Log. par. form. c. 13. *Sic: Necesse est omnem Philosophum esse doctum. Necesse est quendam hominem esse Philosophum. E. necesse est quendam hominem esse doctum. Hic minor omninò falsa, cum totum illud contingens sit. Si reducendo ad 1. figuram minor vera esse debeat, per modum contingentis est formanda, sic habebit 4. terminos. Vt: Om: Philosophus necessariò est doctus. Quidam homo contingenter est Philosophus. E. quidam homo contingenter est doctus. Medium in minore habet terminum modalem additum, cum in majore ponatur absolutè. Et conclusio multum abest à priori in 3. figurâ. Tactum aliquid de hoc* disp. Log. 12. th. 22. Alij *respondent, modum Darapti esse bonum & formalem, sed Syllogismos tales formandos* modaliter divisè, *& sic verum illaturos. Sic: Om: Philosophus necessariò est doctus. Om: Philosophus necessariò est homo. E. quidam, qui necessariò est homo, necessariò est doctus: Quod verum est, intelligitur enim* talis homo, *qui sit* Philosophus. *Hoc modo & reductio ad* 1. *figuram legitimè se habebit: Om: Philosophus necessariò est doctus. Quoddam, quod necessariò est homo, est Philosophus. E. Quoddam, quod necessariò est homo, necessariò est doctum.* D. Keslerus d. consequ: c. 31. §. 7. Heymburg. d. Syll. mod. c. 1. §. 2. Danhauer. id. disp. f. 4. §. 80. *Hæ responsiones hypotheticam necessitatem mihi involvere videntur, cum istis, de quibus* th. 11. *Idemq́; de illis judicandum. Idem* Danhau. c. l. §. 4. *putat, in his Syllogismis* [illegible] est esse ambiguum *& evolvendum, interdum notare solum actum essendi, interdum & exi-*

existentiam involvere. Sic: Om. Philosophus necessariò est doctus. O. Philosophus necessariò est homo. Τὸ *est notat actum essendi & copulam tantùm: At in Conclusione, E. Quidam homo necessariò est doctus,* τὸ *est implicat existentiam, ut in contingenti terminorum habitudine solet, valetq; idem, ac, E. quidam homo necessariò existit doctus. Sic esse 4. terminos, Nec ita permittere inferre præmissas. Si* nec hoc *placeat, dici possit, modum Darapti esse bonum, sed* primò *in Syllogismis absolutis,* secundariò *in modalibus, ubi multa ex modalibus requisita advertenda: Idemq; de reductione habendum, quæ* primò *urgenda in absolutis, in cæteris* cautè *adhibenda.*

13. 5. Cur semper hic per formam conclusio particularis, *etiamsi præmissæ fuerint universales, Cum in 1. & 2. figurâ ex universalibus benè inferatur universalis conclusio? Ratio est, 1.* Quia *medium angustius extrema sua tantùm particulariter conjungit aut separat. At hic tale medium per se semper est. Per accidens interdum secus est,* cum medium cum extremis est convertibile, *unde conclusio universalis elicitur, de quo postea. Sic probando, an homo sit doctus, sumitur medium, Philosophus: Quod ista extrema, homo & doctus, non universaliter potest inferre, est enim utroq; angustius: at angustius non infert latius, sed contrà: sed particulariter.* 2. Quia *hic proceditur ab illatâ specie ad inferendum genus. At species non infert genus universaliter, sed particulariter. Non dices, Est homo. E. omne animal. Sed, quoddam. Accidit* interdum contrà, *ut conclusio sit universalis, sed* 1. vi materiæ, *non formæ, cum termini sunt reciproci. Vt: Om. homo est animal. O. homo est docilis. E. Om. docile est animal.* 2. Vi figuræ primæ, *non tertiæ, cum minor transponitur. Vt ex* Act: 17. v. 28. *Is, per quem vivimus, movemur, & sumus, est verus Deus. Ille, per quem vivimus, movemur*

vemur, & sumus, est is, quem vobis annuntio. E. is, quem vobis annuntio, est verus Deus. Convertatur minor, & erit in 1. figurâ Syllogismus. De modis indirectis nil attinet dicere. Videatur Mendo. d. 10. Log: s: 19. §: 119.

14. Fuit variatio *figuræ hujus* per modos: *Sequuntur* Canones, *processum ejus dirigentes. Illi sunt quatuor.* 1. Minor semper est affirmans per formam, non negans. *Ratio est* 1. ex ipsius *processus ratione, Qui est â specie ad genus, unde hic prædicatur de toto, quod prædicatum fuit de parte. Oportet ergò partem toti subjici, non ab eo removeri. Iam in minore medium minori termino subjicitur, ut pars toti. Vt: Om. homo est animal. Nullus homo est leo. E. quidam leo non est animal. Hic leo debebat attribui homini, ut & postea animal, quod de homine ut toto in majore prædicatum erat, de leone ut parte contentâ sub toto in conclusione prædicari posset, & removetur in minore ab homine.* 2. ex hujus *figuræ cum primâ cognatione. Vt in illâ prædicatur in conclusione de minore, quod erat prædicatum de medio in majore, sic & in tertiâ. At illa in minore medium tribuebat minori termino, non removebat ab eo. Sic: O. homo est animal. Petrus est homo. E. Pe. e. animal. Sic in 3. Om. homo est animal. Qu. homo est Petrus. E. qu: qui est Petrus, est animal.* 3. ex hujus figuræ *ad 1. reductione. Hæc in quibusdam modis fit convertendo minorem. Si hæc esset negans in 3. figurâ, foret etiam talis in primâ, quod est contra formam primæ figuræ. Non ergò formaliter procedunt hi Syllogismi: O. corvus est niger. Nullus corvus est Æthiops. E. quidam Æthiops non est niger. O: homo est animal. Nullus homo est brutum. E. Quoddam brutum non est animal. Om. peccatum est anomia. Qu. peccatum non est adulterium. E. quod: adulterium non est anomia. Pater est persona essentiæ divinæ. Pater non est filius. E. qui est filius, non est persona essentiæ divinæ. Iustitia est virtus. Iustitia*

non est temperantia: E. Quædam temperantia non est virtus. Charitas Christiana est opus Sp. S: Charitas Christiana non est spes Christiana. E. Quod est spes Christiana, non est opus Sp. S. Vera fides justificat. Vera fides non est opus legis. E. Quod est opus legis, non justificat. Si secus quandoq; contingit, vel per materiam, vel præmissarum transpositionem contingit.

15. Dices 1. *Non rectè infertur conclusio ex præmissis, secus erit vera. Nam totum prædicatum minoris inferri debet hoc modo: E. Quoddam, quod non est Æthiops, est nigrum. E. quoddam quod non est filius, est persona essentiæ divinæ, & sic in cæteris. R. Prædicatum totum est inferendum conclusioni, exceptâ* particulâ negante. *Ea enim conclusioni relinquenda, ut sequatur* debiliorem partem ex præmissis. *Secus aliqua præmissa erit negans, & conclusio tamen affirmans, habens subjectum tantùm infinitum, Quod non admittit illatio Syllogistica. Etsi enim forma sit Syllogistica, & non formalis: Conclusio tamen sic inferenda, ut ex istâ inferendi formâ fiat falsa, quod non erit, si particula negandi ei inferatur. Et sic video communiter istas formas à Logicis proponi.* V. Scheib: d. Syll.c. 8. n. 14. Danhau. c.l. §. 68. & epit. dial. p: 1. c. 10. 2. Possunt *transponendo præmissas ista argumenta omnia in legitimam formam redigi, & sic tamen conclusio manebit. Vt: Nullus corvus est Æthiops. Om. corvus est niger. E. Quidam Æthiops non est niger. Sic in cæteris. R. Quidam putant, illam transpositionem non esse admittendam, quod ea debeat esse major, quæ habet majorem terminum, Minor, quæ minorem. At hic in majore fore minorem terminum, & contrà, ut ex collectione terminorum patet.* Danhau. c.l. *Etiam* concessâ istâ præmissarum transpositione *dici potest, conclusionem inferendam ad eam formam, quâ ante dictum; ut prædicatum Minoris fiat subjectum conclu-*

sio

sionis, & majoris prædicatum, non inversè. Sic ergò inferatur : E. quoddam, quod est nigrum, non est Æthiops. E. quoddam quod est animal, non est brutum. E. quoddam, quod est anomia, non est adulterium. E. quidam, qui est persona divina, non est filius, Sicq́ consequenter: quæ conclusiones concedi possunt, & multum differunt à præcedentibus. Sed de totâ hac re parùm *elaborandum, quî inferendum vel non inferendum, quando contra formam fig. 3. esse constat, minorem habere negantem.*

16. 2. Conclusio per formam semper sit particularis, non universalis. *Secus si fiat, vel per materiam, vel per vim* I. *figuræ fit. De hoc dictum* th: 13. *3.* Minoris prædicatum totaliter inferatur per formam in conclusionem, non partialiter. *Vt : Annulus ambit digitum. Annulus continet gemmam. E. continens gemmam ambit digitum, non, E. gemma ambit. Pertinent huc celebria ista exempla Theologica ex* Matt: 22. & Act. 5. 2. Cor. 12. v. 2. 4. *de quibus hic aliquid tradi solet: Deus est Deus vivorum. Deus est Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi. E. Abraham, Isaac, & Iacob, vivunt. Ananias mentitus est* Deo. *Ananias mentitus est Spiritui S: E. Sp. S. est Deus. Paulus raptus fuit in cælum. Paulus raptus fuit in Paradisum. E. Paradisus est cælum. Passim de his tractant Logici, & Theologi, ut* Dn. Melanchton, Strigelius, Cornelius & Iaco: Martinii, D. Graverus, D. Finckius, D. Keslerus, D. Meisnerus, D. Höpfnerus, D. Affelmannus, Dn. Scheiblerus, D. Greberus, Arnisæus, Danhauerus, Bacch, Goclenius, KecKermannus, *alijq́, & peculiari tractatiunculâ deduxit* M. Schachingerus *adversus* Theod: Warinum *Iesuitam Mosthemiensem.* Quidam *istos modos ut formales defendere volunt :* Alij *repudiant,* Alij *limitant. Breviter hic dici potest:* 1. Modus iste arguendi non est formalis & directus, *in 3. fig: non enim retinetur formale requisitum figuræ*

3. *ut prædicatum minoris totũ inferatur Conclusioni. Nam dicere* τὸ *vivorũ esse totũ prædicatũ majoris & minoris, quomodo hanc formam video velle defendere* D. Finck. d. syll. c. 6. §. 3. M. Bacch l. 2. vind. pr. an: Log: D. Greber. d. 4. Log: 4. 6. *contra connexionem terminorum in hac figurâ est, ut resolutio docet, & formalis 3. fig: dispositio, & extemorum legitima conversio.* Resolutio & dispositio, Vt: Quæritur, *an Deus Abrahami sit Deus vivorũ. Affirm: Medio sumpto, Deus, scil. ille verus. Hoc medio in vtraq; præmissâ pro subjecto posito sic arguitur: Deus ille verus est Deus vivorum. Deus ille verus est Deus Abrahami. E. qui est Deus Abrahami, est Deus vivorum. Ex tertiæ figuræ formâ plus non concludes.*

17. Conversio: *Si convertendæ sint hæ enuntiationes, Deus est Deus Abrahami, Isaaci, &c. Deus est Deus cœli & terræ: Ananias mentitus est Deo, Petro, &c. ipsa conversio docebit,* τὸ *Abraham, Isaac, cœlum, terram, Deum, Petrum, non esse totum prædicatum, sed, esse Deum Abrahami, Isaaci: esse Deum cœli & terræ, adeoq; legitimè ad hanc formam convertendum esse: Deus est Deus Abrahami. E. quidam, qui est Deus Abrahami, est Deus. Deus est deus cœli & terræ. E. quidam, qui est Deus cœli & terræ, est Deus. Si secus convertas, illegitima erit cõversio: Vt, Deus est Deus Abrahami. E. Abrahamus est id, Deus est Deus. Ananias mẽtitus est Petro. E. Petrus est id, Ananias mẽtitus est. Sic alia exẽpla ex obliquis id docebũt, Vt: Nullus homo est animæ. E. Nulla anima est hominis. Deus est creator hominũ. E. homines sunt creator Dei. Falsa est conversio. Nõ enim totũ prædicatum cõvertitur. Sic convertendũ: E. nihil, quod est anima, est homo. Conf:* Stẽgel: d. Syll: p: 2. §. 22. 23. 24. Si regeras, Servatis ijsdẽ terminis *in 1. figurâ directè per formã hoc inferri, E. Abraham vivit. E. licere hoc & in tertiâ facere:* *Negabitur* & antecedens, & consequentia. Antecedens, *falsum est, servari eosdem terminos in 1. & 3. figurâ, Quod* *auda-*

audacter à quibusdam urgeri video. Resolvendo hunc in 1. figurâ Syllogismum: Is, cui Deus est Deus, est vivus. Abraham est is, cui Deus est Deus. E. est vivus: Videbis, terminum majorem *esse, est vivus,* minorem *Abraham:* medium, *Is, cui Deus est Deus. Iam hi termini prorsus sunt alij, ab ijs, qui in Syll: 3. fig: erant. Vbi* major *erat, est Deus vivorũ,* minor, *est Deus Abrahami,* Medius, *Deus ille verus. Nam* ꝙ est Deus, *in hoc ad majorẽ & minorem terminũ pertinuisse, docet, quod ex legitimâ 3. fig: formâ repeti potuerit in conclusione, cum medium aliàs per formam prohibeatur inferri conclusioni, vel ex toto, vel ex parte. At in 1. figurâ pertinebat ad medium terminum, Is, cui Deus est Deus, quare nec in conclusione repetebatur, sed prorsus* per formam ex illâ dispositione alia inferebatur Conclusio, *nempe, E. Abraham vivit.* Consequentia, *falsum enim, licere idem per formam inferre in 3. figurâ,* ac in 1. *Quælibet suam formalem dispositionem peculiarem habet, nec in qualibet quidvis ex quovis licet inferre. Hoc patebit inducendo similia exempla. Vt: Deus est Deus hominum. Deus est Deus angelorum. Dic tu,* ꝙ *hominum & angelorum esse totos terminos majores & minores, adeoq́, sic rectè inferri, E. angeli sunt homines, & ludibrium Logicis debebis.* Sic: *Paulus raptus fuit in cœlum. Paulus raptus fuit in carcerem. E. carcer est cœlum. Ananias mentitus est Deo. Ananias mentitus est Petro. E. Petrus est Deus. Omninò hæc per formam tertiæ figuræ non procedunt: quidquid sit de primæ dispositione, ubi alijs terminis, aliâ formâ, & aliâ illatione proceditur. Ita non formaliter procedit* hic Syllogismus: *Voluntas humana in rebus divinis subjacet voluntati divinæ. Voluntas humana in rebus divinis est mutata à cultu legis V. T. ad cultum Evangelicum N. T. E. & voluntas divina est mutata.* Per formam 3. fig: *plus non inferes, quàm hoc: E. quoddam, quod in rebus divinis est mutatum à cultu legis in Evangelicum, subjacet voluntatæ-*

luntati divinæ. Si ad 1. fig: redigas, procedet hoc modo: Vbi subjectum voluntati divinæ mutatur, ibi & voluntas divina mutatur. Voluntas humana est id, quod subjectum voluntati divinæ mutatur. E. & voluntas divina mutatur. Vbi majoris negabitur consequentia.

18. 2. Indirectè, crypticè & per materiam varijs modis ita inferri potest, *cum crypticè unum directè in figurâ tertiâ concludit, alterum per hypothesin & consequens. Idq; fit,* 1. cum duo posita re sunt unum, & consentanea in affirmatis, dissentanea in negatis. *Vt: Hæc oratio defendit reum. Hæc oratio defendit Socratem. E Socrates est reus.* 2. Cum Conclusionis primò illatæ cum alterâ deducendâ infallibilis est cohæsio. *Vt: Deus est Deus vivorum. &c. E. Deus Abrahami, Is: & Iac. est Deus vivorum. Iam consequenter; Si Deus est Deus vivorum, & non mortuorum, tùm Ab: Is. & Iac. vivunt, & non sunt mortui. At prius est. Ergò.* Si non sit cohæsio infallibilis propositionum, *nec illatio est legitima. Vt: Paulus habet sensum. Paulus habet rationem. E. habens rationem habet sensum. Et per consequens ratio est sensus. 3.* Cum majus extremum restrictè infertur per tantùm, solùm, & simile quid. *Vt: Deus est Deus viventium tantùm, & non mortuorum. Deus est Deus Ab. Isa. & Ia: E. Deus A. I. & Ia. est Deus vivorum tantùm, & non mortuorum, & sic A: I: & Ia. vivunt.* 4. Cum in 1. fig. inflexis & mutatis terminis eadem inferri potest Conclusio. *De eo jam dicendum.* 3. Evidentiùs & formaliùs hi Syllogismi *in 1. figurâ formantur, ut eadem conclusio procedat, quàm tertiâ. De modo formandi alij alia. Rectissimè sic procedes: Illi, quibus Deus est Deus, vivunt, & non sunt mortui. Ratio à Christo redditur* Matt. 22. v. 32. *Abraham, Is: & Iac: sunt illi, quibus Deus est Deus. Ergò. Ille, cui tùm præter Apostolos mentitus est Ananias, est verus Deus, Ratio reddi-*

redditur à Petro Act. 5. v. 4. *Vbi sensus non est merè exclusivus, sed comparativus, ut ex similibus loquendi modis patet.* Exod: 16. v. 8. Hose. 6. v. 6. Matt: 9. v. 13. *Sp. S. est ille, cui tùm præter Apostolos mentitus est Ananias. E. est verus Deus. Effugijs* Socini, Ostorodi, Smalcii, Stegmanni, Catechismi Racoviensis, Grat. Prosperi, Crellii, Volkelii, *aliorumq; Photinianorum ad locum istum in discursu, si opus fuerit, occurremus. Ad eandem formam in cæteris procedes. Pluribus de his arguendi formis fortasse aliàs.*

19. IV. Eadem uni tertio sunt eadem inter se, & non eadem uni tertio nec inter se sunt eadem. *Solet & hoc pro regulâ figuræ 3. adduci, ut ostendatur, quî ex attributione duorum ad tertium convenientia illorum inter se deducatur. Et variè à variis limitatur. Quidam* de convenientiâ *explicant, quidam de* identitate. Alij *pro fundamento expositorij Syllogismi tertiæ figuræ habent, alij pro generali in omni figurâ. De eo fusiùs alibi. Breviter dici potest.* 1. Si de convenientiâ *intelligatur, sic intelligendum: Quomodo duo in medio communi conveniunt, ita & inter se attribui possunt ratione istius medij. Vt: Animal & bipes conveniunt in medio communi homine, hactenus ergò & de se enuntiari possunt. Vt: O. homo est animal. O. homo est bipes. E. quoddam bipes est animal. Dicitur* medium commune; *quod universaliter &* completè *possit distribui saltem in aliquâ præmissâ: Nam si merè sit particulare, & indistributivum, nulla convenientia duorum inde infertur. Vt: Quoddam animal est brutum. Quoddam animal est rationale. E. Quoddam rationale est brutum. Similiter nec valet, cum unum medium commune affirmatur de duobus tertiis, sic enim fit merus affirmatus in 2. figurâ: Vt omnis homo est animal. Omnis leo est animal. E. Omnis leo est homo. Etsi homo & leo conveniunt in medio,* nullibi *tamen* illud pro subjecto *completè distribui*

bui potest. Nec ergò inter se convenire concludi possunt. Vt: Animal est leo. Animal est homo. E. quidam homo est leo. Si medium prædicetur de duobus illis, erit merè affirmatum in 2. figurâ, quod etiam ἀσυλλόγιστον. Si de identitate *intelligatur regula, de tertio singulari & incommunicabili est intelligendum, Vt: Petrus est homo. Petrus est Philosophus. E. quidam Philosophus est homo. In* tertio communicabili *non valet: Vt Abraham & Isaac conveniunt in uno tertio, homine, E. & inter se conveniunt, & sic Abraham est Isaac. Quia illud tertium, homo, est communicabile quid. Sic non valet iste* Photinianorũ*: Essentia divina est pater Ess. divina est filius. E. quoddã, quod est filius, est pater. Nam medium illud, essentia divina, etsi sit singulare, tamen simul de nostrâ fide est communicabile tribus suppositis divinis. Pluribus aliàs hoc de principio.*

20. *Fuerunt* Regulæ 3. figuræ. Affectiones *ejus sunt perfectiones & illustrationes, quibus processus illius clarior reddi potest. Vocantur etiam principia perfectiva figuræ tertiæ, quatenus sunt* media formam ejus perficientia, *quam ad perfectissimam concludendi rationem reducunt:* Affectiones, *quatenus sunt media processum figuræ tertiæ illustrantia. Suntq; duo,* Reductio, & Expositio.

21. Reductio est evidentiæ consequentiæ formalis Syllogismi 2. & 3. figuræ per primam demonstratio. *De hac notanda.* 1. Veritas & necessitas. *Omninò in Logicis est ferenda & docenda.* 1. Quia est *instrumentum perficiens operationem aliquam ratiocinativam in ostendendâ necessitatis inferendi evidentiâ: monstrat enim necessitatem concludendi in Syllogismo quàm clarissimè, & modo ad naturalem inferendi processum proximè accedente, qui naturalis processus omnium evidentissimus est in figurâ primâ, ut principia ejus, terminorum dispositio, & universalis experientia lumine naturalis intellectus nixa, ostendunt. Ad eam ergò reducendo Syllogismum*

mum alius figuræ, processus ejus formalis maximè evidens efficitur. At tale instrumentum omninò in Logicis est proponendum. 2. Docet, *quomodo aliquod in Syllogisticâ doctrinâ positum, sit verum, legitimum, & artificiosum.* 3. Docet *quomodo præcepta Syllogismi tertij alijs probare & confirmare possimus. At hoc & in Logicis, & in aliis disciplinis sæpè usu venit. Et sic, quod istum usum disciplinarum in disciplinis præstat, omninò ut utile instrumentum disserendi in Logicis est admittendum. Negat eam in totũ* Ramus l: 7. Scho. Dial:c.7. 18. *Quem sequuntur Ramistæ,* Dunamus l.2.Dial.c.9.p. 636.c. 10.p:674. c.12.p.710. Beurhus: p: 208. collat: & p:2. pæda.p:940.Talæus in l.2.Dial :Rã. c. 9. p: 292 .Beccman.l.3. com. Log:c.5.d. 2.*Cum quib9 facit* Valla l. 3.Dial :c.9. *Alijq́. De rationibus horum videbimus in discursu. Conferri possunt* Cl. I. M. l. 2. dis. Ram. c. 11. q: 2. & C. 8. d: 8. q. 1. D. FincKius d. Syllo: c. 7. th. 2. Hipp: q: 36. Log. Goclen: p. 4. prob. 35. Timpl: l. 4. Log: c. 4. q: 1. *alijq́.* 2. Varietas & species, *quæ duplex,* Vel *Syllogismi simplicis, quæ vel directa, s. ostensiva, vel indirecta, s. per impossibile ;* vel *compositi, ubi ille ad simplicem revocatur. Hæc aliena hic est. De utriusq́ ratione & veritate videantur Logici.* 3. Generalitas, *ubi quæritur, an omni omninò Syllogismo competat, etiam primæ figuræ? Ait* Timpl. c.1. q: 2. *quòd ejus materia clarior fieri possit reducendo ad 2. figuram, & compositus reduci possit ad simplicem. Si* generalissimè *reductionis vocem sumas, ita & 1. figuræ Syllogismus, & compositus, & imperfectus, ut Enthymema, Sorites, reduci possunt. Sed hic vox ista* pressiùs *sumitur, pro ostensione processus formalis in consequentiâ Syllogismi simplicis 2. aut 3. figuræ, revocando eam ad primam & per eam declarando. Cæteræ reductiones non sunt hujus loci.*

22. Expositio est Syllogismi figuræ tertiæ per medium singulare illustratio & probatio. *De hac notanda* 1. Vocis ambiguitas. *Expositio notat* interdum *termini vel propositionis evolutionem, quæ in parte Log:* 1. *&* 2. interdum *Syllogismi formam termino singulari exhibitam. Hoc vel* generaliter *in omni figurâ, ubi Syllogismus singularis formari solet, unde quibusvis figuris Syllogismi proprij affirmantes & negantes subijciuntur : vel* specialiter, *pro Syllogismo figuræ tertiæ ex medio præcisè singulari formato, illustrante alium Syllogismum figuræ tertiæ velut sensibiliter. Sic hic sumitur: estq; hoc modo expositio potius Syllogismi 3. fig: illustratio & probatio, quàm in se peculiaris aut nova Syll:* 3. *figuræ species. Sic si hunc Syllogismum communibus terminis constantem: Om. Philosophus est doctus. Om. Philosophus est homo. E. quidam homo est doctus ; illustrem assumpto* sensibili velut exemplo & *singulari termino pro medio, unde de iisdem terminis illatio procedat. Vt: Aristoteles est doctus. Arist: est homo. E. quidam homo est doctus: Expositione præcedentem Syllogismum probasse dicor. Vnde quidam negant, expositionem dicendam Syllogismum,* Crell. l. 3. p: com: c. 10. Zabarell: l. d. 4. figura. c. 7. Cl. l. Mart. C. 4. d: 4. q: 2. & l. 2. d. 3. Eloh: c. 45. *Quidam affirmant. Distinctione vocis res facile expedietur. Conf.* D. Finck. d. Syll: c. 3. q: 4. 5. Goclen. p: 4. probl: q: 42.

23. 2. Specialitas, *Quâ non 1. aut 2. Sed soli 3. figuræ tribuitur. 1. Quia medium in 3. figurâ semper subijcitur, at singularia aptissimè subijciuntur, non prædicantur. 2. Quia frequentior est ista illustratio in figurâ tertia, quàm primâ aut secundâ. 3. Quia conclusio hic semper particularis. At hæc ratio concludendi ad medium singulare est aptissima, quod universalem illationem dare non potest, sed particularem tantùm.* 3. Diversitas à Syllogismo singulari *s. proprio. Expositio*

differt

differt à syllogismo singulari specialitate: *Syllogismus singularis in omni figurâ est, ut ex Logicis notum est: expositio in solâ figurâ tertiâ.* Medij qualitate, *In Syll: singulari medium potest esse commune, ut, Deceptor puellæ non est laudandus. Demophoon est deceptor puellæ. E. non e. lau: In expositione semper est singulare.* Terminorum varietate. *In Syll. singulari omnes termini singulares esse possunt, ut, Cicero non est Octavius. M. Tullius est Cicero. Ergò &c. in expositione medium est singulare, reliquorum terminorum aliquis communis.*

24. 4. Inferendi qualitas. *Hæc 1. est ex* medio semper singulari, *singulariter sumpto, adeoq́ incommunicabili. Nam si communicabile sit, nihil infertur. Erunt enim merè particularia, & medium nullibi completè distributum. Vt: Homo est dives. Homo est pauper. E. quidam pauper est dives.* conf. th. 19. 2. De conclusione semper particulari, *& particulariter, i. e. indistributè & non communiter sumptâ. Vt: Plato est doctus. Plato est homo. Non inferendum, E. quidam homines sunt docti, hoc n. particulare distributivum est, quod in plura dispergi potest, & plus infert, quàm præmissæ permittunt: Sed ita concludendum, E.* quidam homo est doctus: *Vbi* [illegible] quidam *sumitur pro* parte vnâ, *quam inferre permittebat medium singulare, adeoq́ aliqua modo æquipollet singulari isti medio, ex quo inferebatur, sensu nempe* Confuso, *& individuum* vagè, *ut vocant, sumendo. Sic differet conclusio à præmisśis, si non* re, & sensu toto, *saltem* ratione, *& sensu ex parte. Sic in simili: Aristoteles est Philosophus. Aristoteles est Græcus; non dicendum, E. quidam Græci sunt Philosophi; sed, E. quidam Græcus est Philosophus. Iudas prodidit Christum. Iudas fuit Apostolus. Non, Ergò quidam Apostoli prodiderunt Christum: Sed, E. quidam Apostolus prodidit Christum. Petrus in atrio Pontificis se execratus est. Petrus fuit Apostolus. Non, E. quidam Ap. se execrati sunt:*

ti sunt: sed, E, quidam Apostolus se execratus est. Si interdum *liceat etiam particulariter distributivè verè concludere, fiet id* 1. *beneficio* materiæ, *non* formæ. *Vt: Iudas fuit damnatus. Iudas fuit incredulus. E. quidam increduli damnantur. Hoc modo & universaliter licebit inferre, sed non ex formâ expositionis, quæ nunquam id fert, sed per materiam. Vt: Hoc est calefaciens. Hoc est vinum. E. omne vinum est calefaciens. Hoc est homo. Hoc est rationale. E. omne rationale est homo.* 2. Vi quorundam *singularium collectivè inductorum, quæ conclusionem particularem distributivam inferent, quia ipsa singularia reverâ sensu sunt particularia, iisq́; æquipollent, & sic* Expositio non rigidè est expositio, *non enim medium præcisè singulare & incommunicabile retinet: sed ut* induit naturam particularis: *Vt, Socrates, Plato, Bias, sunt Philosophi. E. quidam homines sunt Philosophi. Petrus, Iacobus, Andreas fuerunt Apostoli. E. quidam Iudæi fuerunt Apostoli. Hic Petrus, Iacobus, Andreas, æquipollent particulari distributivè sumpto, & consequenter etiam ita licet inferre conclusionem. Sed expositio desinit esse vera expositio.* 3. sono conclusionis *particulariter quidem prolato,* sensu *a. singulari existente, ut* τὸ *non omnis valeat idem, ac aliquis non. Vt: Paulus non est rejectus â Deo. Paulus est Israëlita. E. Non omnes Israëlitæ sunt reiecti â Deo. Sensus est idem, ac hic: E. quidam Israelita non est reiectus â Deo. Petrus non fuit damnatus. Petrus abnegavit Christum. E. non omnes abnegantes Christum damnantur.* Sensu *æquipollet huic: E. quidam, qui abnegavit Christum, non fuit damnatus. Ita Conclusio virtute æquipollet singulari confusè & vagè sumpto, quod â præmissis permittebatur.* Conf. Goclen: p: 4. probl. 41. 43.